

dentalem ratione diversorum statuum, quæ tamen suâ non destituitur utilitate; Deinde fundamentum habere in speciebus corporis naturalis, in quibus jam specificæ tantum, jam & specificæ & genericæ dantur. Hinc *B. D. Jacobus Martini* quoque in *Exercit. suis Metaph. l. 1. Exerc. 4. Theor. 4.* formam duplicem facit communem sive generalem & specificam. Communem dicit illam, quæ non species ultima constituitur, sed genus aliquod, ut forma corporis, forma animalis, viventis &c. atque negat, formam hanc existentiam tribuere posse, propterea, quod det quidem actum sed imperfectum, nempe cum materiâ commixtum. Formam verò specificam dare actum perfectum, sive, quod idem est, ultimam perfectionem, prætereaque existentiam tribuere, nec aliâ formâ indigere rem ad existendum. Sic etiam *Exercit. 9. Theor. 7.* inquit: Atque hoc est, quod dicitur, formam generalem dare quidem actum, sed imperfectum: Formam verò specificam dare actum perfectum & nullâ aliâ formâ ad existendum indigentem. Forma itaque animalis, verbi gratiâ, in homine est actus cum potentiâ conjunctus: habet enim potentiam, ut cum *Averrhoë* loquamur, contrahibilitatis, nempe talem potentiam, quæ adhuc perfici, & per formam substantialem nimirum formam hominis contrahi potest, quemadmodum etiam in homine per eandem contrahitur & perficitur adeò, ut nulla alia dari possit, quæ perfectiorem reddat hominem. Quibus gemina habet in *Partit. Metaph. l. 1. c. 8. p. 340.* Generales, inquit, formæ sunt, quæ quidem actum dant materiæ, sed imperfectè & cum potestate conjunctum, Formæ specificæ sunt actus perfecti, qui nullam aliam essentiali perfectionem admittunt. *B. D. Scharsius* in *Metaph. Exemp. l. 2. c. 7. p. 110.* hac de re ita sentit: Generica forma vocatur, quæ dat actum imperfectum & cum potestate junctum: Specifica forma est, quæ dat ultimum actum essendi & existendi adeoque speciem perfectam constituit. Hæc est propriissima forma, ut anima rationalis in homine. Sic non minus eruditè quàm verissimè de hac divisione *B. Sperlingius* scribit in *Instit. suis Phys. l. 1. c. 3.* ita differens: In ore omnium hæc divisio est. Unius enim conditionis formæ omnes esse nequeunt. Una propria